


De Vergili carminibus

a Drydeno poeta in linguam Britannicam translatis.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores obtinendos amplissimo philosophorum ordini in universitate litterarum Jenensi proposuit

Carolus Franciscus Josephus Nick,

Rhenanus.

Bochumiae, a. d. XIII. Cal. Sept. MDCCCLXVIII.

Typis Wilh. Stumpf.

Praeceptori suo doctissimo humanissimo

Joanni Giesen

Doctori philosophiae

magistri superioris ordinis munere fugenti in gymnasio

Bonnensi.

D. D. D.

Scriptor.

De Vergili carminibus a Drydeno poeta in linguam Britannicam translatis.

Per medium aevum et Britanni et ceteri Europae populi prorsus antiquarum litterarum studium neclegebant. Satis notum est, rerum antiquarum investigationem in Italia initium cepisse temporibus Petrarchae qui vir non solum magnam litterarum cognitionem habuit, sed etiam omnes qui una vivebant consilio ac re exhortatus est, ut antiquorum temporum monumenta omnibus viribus omnibusque nervis perscrutarentur. Quo factum est, ut populus Italicus multis annis antequam ceterae Europae nationes incepissent rerum antiquarum studio operam dare, Vergili Horati Livi opera intellegeret.

Saeculo sexto decimo classicae quam vocant antiquitatis studium laetius effloruit in Francogallia et in Germania: Ronsardus et Malherbius poetae operam dederunt, ut descriptiones et figuras nec non verborum ordinem et conjunctionem veterum scriptorum imitarentur: in Germania almae litterarum universitates conditae sunt multaeque exstiterunt societates in quibus et iuvenes et viri aetate provecti in artium liberalissimis studiis et doctrinis versabantur principum regumque auxilio subsidiisque adiuti. Jam J. M. Gesneri et Ernesti opera aditum patefecerunt ad eruditionem accuratam et reconditam. In Britannia, qua in terra non ante saeculum septimum decimum litterae coli coeptae sunt, mores institutionesque magnam habuerunt vim ad litterarum incrementa: Graeci enim et Romani per longum temporis spatium certam sequebantur in agendo rationem quae cum animo libertatis communis studioso quo maxima nationis Britannicae pars erat praedita mirum in modum congruebat, ita ut is qui veterum linguarum esset peritus summa diligentia scriptorum et Latinorum et Graecorum opera perlegeret. Sed cum Britanni non tantum verbis veterum quantum ratione et

sensu delectarentur, accuratius et exquisitius studium fieri non potuit, donec Bentleius duplicem criticae exercendae viam iniit. Ante illud tempus Britanni satis habebant leviter attingere litteras atque erant multi poetae qui uterentur operum veterum poetarum interpretationibus lingua Franco-Gallica aut Britannica scriptis. Qua de causa non est mirandum, quod multi viri docti illius aetatis inceperunt Graecorum et Latinorum scriptorum opera convertere in linguas recentiores*).

Joannes Drydenus natus a. MDCXXXI. postquam poesin et dramaticam et satiricam attingere ausus est, extrema senectute transferre incepit opera Juvenalis, Persi, Vergili. Mihi proposui hac dissertatione poetae Drydeni versionem Vergili lingua Britannica factam comparare cum archetypo. Editio Britannica quam sequor constat ex tribus voluminibus quorum primum Bucolica *(the Pastorals)* et Georgica *(the Georgics)* continens inscribitur: „*The Works of Virgil: Containing His Pastorals, Georgics and Aeneis. Translated into English verse; By Mr. Dryden. Seventh Edition. London. Printed for J. and R. Tonson and Traper. 1748.*“ Alterum et tertium volumen continent Aeneidos libros. Ut Drydenus dramata sua viris quibus magna erat auctoritas blandis verbis dedicare solebat, sic etiam versionem Vergili operum ad tres viros magnisopibus praeditos misit. Et in opere de quo nunc agitur et in ceteris Drydeni operibus longas praefationes et dissertationes ad artem criticam spectantes legis quarum plurimae etiam nunc magno sunt usui. In nonnullis huiuscemodi dissertatonibus poeta exponit viam et rationem quam Vergili carmina convertens secutus sit et quae de ratione inter versionem et poemata Latina intercedenti sentiat indicit. In dedicatione quam fecit „*To Lord Cliffort*“ quanti opus suum aestimaret indicavit his verbis: „*Be pleased therefore to accept the Rudiments of Virgil's Poetry: Coarsely Translated, I confess, but which yet retains some Beauties of the Author, which neither the Barbarity of our Language, nor my Unskilfulness cou'd so much sully, but that they appear sometimes in the dim Mirrour which J hold before you.*“ In eadem dedicatione poeta mentionem facit temporis quo

---

*) Satis constat Shakesperium cum tragoediam quae „*Troilus and Cressida*“ inscribitur componeret nihil ex Homero sed multa e versione a Chapmano facta hausisse.

aggressus est opus suum dicens: „*And it was more excusable in him (Virgil) to Describe Love whén he was young, than for me to Translate him when I am old. He died at the Age of fifty two, and I began this Work in my great Climaterick*“. In dedicatione „*To the most Honourable John*“ etc. dicit quantum temporis ad carmina Vergili convertenda consumserit: „*I wish that instead of three years which I have spent in the Translation of His Works, I had four Years more allowed me to correct my errors*“.

Caput primum.

Postquam haec pauca praefationis loco posuimus, nunc ad rem propositam transeamus. Primum omnium placet commemorare, nos materiam in duas partes divisisse. Primum de exteriore forma id est de ratione metrica disseremus, deinde ipsius versionis indolem adumbrabimus.

Unicuique eorum qui in numero virorum doctorum haberi volunt notum est, Vergilium poemata sua scripsisse versu hexametro, quo metro omnes fere veteres poetae in carminibus epicis utebantur. In duobus prioribus poematis Vergilius metrum quod inceperat nullo loco variavit, sed videre licet eum in Aeneide quod carmen parum accurate compositum est, multis locis hemistichia posuisse, id est in medio versu substitisse e. g. Aen. I. 533: „*Huc cursus fuit*“; 635: „*Munera laetitiam dii*“; VIII. 468: „*Rex prior haec*“. Quibus in hemistichiis necesse est nos adiicere verba quaedam, ut versus sententia satis sit plena; sed persaepe accidit ut difficillimum sit poetae sententiam coniectura assequi. Nec Buc. Eclogae nec Georgica hoc vitio laborant, propterea quod poeta extremum perpoliendi laborem adhibuit: Aenidi, ut poeta ipse confessus est, nonnisi ultima quasi manus et lima ad perfectionem deerat. Drydenus cum nollet hoc poetae Latini vitium imitari, ut ipse in praefatione dicit, per totum opus hemistichiis non usus talem Vergili versum integro versu convertit.

Quam eleganter atque egregie nonnunquam haec hemistichia transtulerit, facile colligere possis ex huius hemistichi versione:

Aen. II. 64, 65: .... *et crimine ab uno*
Disce omnes.

Dryd. 84: *Behold a Nation in a Man compris'd.*

Tantum abest ut de ratione hexametri Latini, de Caesura, Hiatu, Elisione disseram, ut vitio mihi datum iri a doctis viris existimem, si hac in dissertatione talia attingerem: verumtamen iudico necesse esse adumbrem rationem metri quo Drydenus in opere suo usus est.

Quia lingua Britannica minime ut opinor accomodata est versui hexametro, Drydenus poeta valde laudandus est quod Vergili metrum imitatus non est: maximum impedimentum esse puto pronuntiationem vel vocis moderamentum. Omnium linguarum quae legibus orbis linguarum Germanicarum subiectae sunt sine dubio ea quae in patria nostra floret maxime accomodata est ad imitanda metra quae in veterum scriptorum operibus inveniuntur. Compares velim e. g. copiam et rationem vocalium quae sunt in lingua Germanica et Britannica et haud dubie consenties, illam plures habere vocales quam hanc, nec poteris negare, vocalium linguae Germanicae non solum nullam opprimi verum etiam nullam neclegentius obscurari, vocalium autem linguae Britannicae perpaucas graviter et venuste pronuntiari, cum omnes fere vocales, exceptis iis quae sunt in syllaba verbi radicem continenti, maxima ex parte opprimantur*). Quantum discrimen intercedit inter hoc distichon Germanicum Schilleri et illam quam Coleridgius dedit versionem:

Schillerus: *Im hexameter steigt des springquell's fluessige saeule,*
Im pentameter d'rauf faellt sie melodisch herab.

Coleridgius: *In the hexameter rises the fountain's silvery column,*
In the pentameter aye falling in melody back.

Eam ob causam recte fecit Drydenus, quod versum heroicum vel iambicum loco hexametri usurpavit atque luculenter demonstravit Miltonus in opere suo quod inscribitur „Paradise Lost", hoc metri genus poeseos Britannicae indoli maxime esse idoneum.

---

*) Quod expressum vides regula illa quam invenire potes in qualibet linguae Britannicae grammatica: *„Pronounce the principal syllable and glide over the rest."*

At Drydenus, cum tanto in opere minime ei placeret versus ille constans ex quinque pedibus quippe qui assidue eodem sono in aures caderet, saepe usus est versu Alexandrino, eodem quem Britanni Pindaricum *(the Pindaric)* vocant. Est autem iste versus iambicus dodecasyllabus, quem Robertus a Brunne primus omnium mutuatus est ex Langlofti poematis. Quod metrum ad quantam concinnitatem atque pulchritudinem perduxerit Draytonus intercapedine in medio versu facta hocce exemplum clare ostendet:

„*The black and darksome nights: the bright and gladsome days*
Indifferent are to him: his hope on God that stays).*"

Ut ad Drydenum nostrum revertar, animadvertendum est, eum usum non esse versu quem Britanni „*the blank verse*" appellant, verum ita instituisse versus suos, ut bini semper eiusdem soni exitum haberent. Facere non possum quin scriptorem nostrum vituperatione dignum esse arbitrer, propterea quod similis versuum exitus versionem omni privat gravitate et pulchritudine quam in Latino carmine tantopere admiramur. Ea in re Drydenus ante oculos habere debuit Miltonum cuius in immortali carmine iambicum quidem versum ex quinque pedibus constantem invenimus, sed nulla adhibita vocum sonorumque similitudine illud carmen et dignitate et gravitate adeo excellit, ut vel cum Aeneide comparari facillime posset, si quidem utriusque carminis ratio ac natura comparationem omnino ullam concederet. Drydenus tam diligens erat versuum quorum extrema verba sono consimilia essent, ut binorum versuum responsione non contentus persaepe ternos inter se respondere vellet, id quod lectori significatur uncini signo in margine adscripto. In hac ternorum versuum coniunctione saepe novissimum Pindaricum vel iambicum dodecasyllabum fecit cuius rei exempla invenis in Aen. I. 319:

Our hope of Italy not only lost
On various Seas, by various Tempests tost
But shut from ev'ry Shore, and barr'd from ev'ry Coast.

in Past. III. 12:

And in what Chapel too you plaid your Prize,
And what the Goats observ'd with leering Eyes:
The Nymphs were kind, and laught, and there your safety lies.

---

*) *Poly Olbion.*

Pindaricorum plurimos in carminibus Pastoralibus invenimus, ubi exstant 47 triades et 26 versus Pindarici, cum in Aeneidos libro primo reperiamus 41 triadas et 16 dumtaxat Pindaricos, in libro altero 34 triadas nec vero plus 6 Pindaricos, in libro quarto 33 triadas 8 Pindaricos. Non dubito quin tales versus unicuique lectorum lassitudinem ac taedium facessant, eosque arbitror tenue molestumque ornamentum esse, praesertim si complures triades continuo subsequantur, veluti in Aeneidos libro I. 667, ubi poeta tres fecit triadas, in eodem libro v. 437 sqq. quatuor inveniuntur triades. Nec vero usquequaque extremus triados versus Pindaricus est, sed etiam medio triados loco talis versus usurpatur cui rei argumentum sunt hi versus desumti ex
Aen. III. 895 sqq.:

New Pangs of mortal Fear our Minds assail,
We tug at ev'ry Oar, and hoist up ev'ry Sail,
And take th'Advantage of the friendly Gale.

Past. IV. 49 sqq.:

The labouring Hind his Oxen shall disjoin,
No Plough shall hurt the Glebe, no pruning-hook the Vine,
Nor Wool shall in dissembled Colours shine.

Interdum nobis in triade plures uno Pindarici occurrunt, sed tum semper medium ac novissimum versum ea ratione poeta composuit quam videre licet in Past. VIII. 50:

Unhappy Damon sighs, and sings in vain:
While Nisa thinks no God regards a Lover's Pain.
Begin with me, my Flute, the sweet Maenalian Strain.

Idem occurrit in Past. X. 113, 114; in Aen. I. 193, 194.

Perperam is iudicaret, qui triadas solas Pindaricum versum continere putaret, quoniam multi huiusmodi versus exstant praeter triadas e. g. in Aen. II. 283:

Then with their sharpen'd Fangs their Limbs and Bodies grind.

Supra cum poetam vituperandum esse censerem, quod in versibus sonorum similitudinem adhiberet, addendum mihi erat multo magis eum dignum esse reprehensione, quod nonnunquam normas regulasque quas ea in re observare debemus temere neclexit. Plerosque eius generis versus in triadibus legimus; quae res quo melius intellegi possit, liceat mihi exempla nonnulla pro-

ferre. In Aen. libro IV. v. 735, 36, 37 primus versus si eum cum duobus quibuscum est coniunctus componimus, non eundem atque illi sonum in exitu prae se fert. Legas velim illos versus:

The Queen, determin'd to the fatal Deed,
The Spoils and Sword he left, in order spread
And the Man's Image on the nuptial Bed.

Simile vitium invenitur in Aen IV. 408, ubi verbum „*begin*" et praepositio „*between*" et substantivum „*queen*" quamvis discrepent sono in versus exitu posita sunt; deinde velim compares Georg. IV. 672, 73, 74 ubi „*alone, begun, Sun*" quamquam in eundem sonum non exeunt, trium versuum finem faciunt. Triadas satis diligenter perlustrando inveni, multas esse quarum novissimus versus, si eum cum primo et altero componis, sono minime cum illis congruit; unum tantum exemplum id quod affirmavi satis superque illustrabit: in Aen. III. 151, 52, 53 tria haec substantiva „*Abodes, Gods, Woods*" quorum sonus non satis est similis leguntur. Verumtamen saepius accidit, ut sonus extremi verbi quod est in medio triados versu sono extremorum verborum quae sunt in primo et novissimo triados versu nullo modo respondeat, quod ex sequenti versu satis apparet, Aen. I. 906, 7, 8:

Of curious Work, where on the Sides were seen
The Fights and Figures of illustrious Men;
From their first Founder to the present Queen.

Eadem ratione permulti versus compositi sunt, sed quia modus enumerandi est adhibendus, duo tantum exempla addo quae exstant in Georg. IV. 188, 89, 90 quibus locis „*too*" adverbium conjunctum est cum verbis „*know*" et „*sow*" quamvis iis non sit eadem pronuntiatio, et in eodem libro v. 197, 98, 99 adiectivum „*less*" cum verbis „*Ease, please*" quamquam soni similitudine eget est coniunctum.

Reperiuntur etiam in poetae Britannici opere versus qui, si ad pedum numerum spectas, ceteris versibus non respondeant*).

---

*) Minus aures nostrae offenduntur versu qui in „*Shakespere's Troilus and Cressida*" legitur: „*Lies rich in virtue, and unmingled*", ubi verbum „*unmingled*" ita legi opportet, quasi constet ex quatuor syllabis, sed id facile fieri potest, quod palatinam *g* sequitur lingualis *l*.

Compares etiam hunc versum in „*Macbeth*" act III., scene VI.: *Who cannot want the thought, how monstrous.*

Sed prorsus aliter res se habet, si versibus iambicis occurris qui ex septem constant pedibus, sicuti videre licet in Past. IV. 15:

Majestick Months set out with him to their appointed Race;

erant enim multi poetae saeculo septimo decimo quibus raris locis versum septem pedibus compositum metro heroico admiscere placebat*)

Exstat in Drydeni opere hand exiguus numerus versuum in quibus eiusdem vocabuli sonus modo in hunc modo in illum modum ad aures ferri debeat; sic vocabulum „*town*“ respondet vocabulo „*gone*“ in Aen. 150, 51; sed idem substantivum in Aen. II. 314, 15 ita usurpatum invenimus, ut „*down*“ adverbio respondeat. Compares etiam velim Aen. I. 1060, 61: *War — declare;* II. 110, 11: *Care — War;* II. 371, 72: *are — War;* II. 397, 98: *afar — War;* II. 814, 15, 16: *err — War — Care;* X. 918, 19: *me — Sea;* X. 931, 32: *Sea — Way;* V. 29, 30, 31: *Sea — Way — obey;* IV. 825, 26, 27: *Delay — weigh — Sea.* Maxima autem pronuntiationis variatio vel potius conturbatio iis in vocibus offenditur qui in *y* vocalem exeunt. Haec enim voces modo ita dici debent quasi extrema vocalis *i* Britannicum sit, modo quasi *e*; poeta noster eis vocabulis semper usus esse videtur quandocunque voce aliqua ad responsionem apta egebat. Nonnulla verba afferam quae hanc meam sententiam possint confirmare; legimus in Aen. 489, 90, 91: *nigh — fly — Italy;* Aen. V. 25, 26: *Italy — Sea;* VIII. 500, 501: *Decree — Italy;* II. 881, 82: *Family — Cry;* II. 619, 20: *free — Gallery;* IV. 469, 70: *fly — Cruelty;* II. 324, 25: *Decree — Prophecy;* X. 943, 44: *I — Infancy***).

Jam vero ut varietatem quandam et vicissitudinem metro iambico addat, poeta Britannicus persaepe adhibet Trochaeum,

---

*) Sheffieldius in libro suo qui inscribitur „*Essay on Poetry*“ exemplum huiuscemodi perpulchrum nobis suggerit quod commemorare non displicet:

„Must above Milton's lofty flight prevail,
Succeed where great Torquato: and where greater Spenser fail.“

**) Haec exempla non attuli, ut poetam vituperarem, nam quamquam soni — similitudo non eadem est, tales versus quam vissintim perfecti componi possunt. Videas quae de hac re dicit Bernh. Schmitz in grammatica Britannica (*Englische Grammatik, Berlin 1853*) p. 59: „*Die unvollkommenen, aber zulässigen Reime werden von Einigen beim Vortrage durch eine leise Abweichung von der gewöhnlichen Aussprache einander anbequemt; diese künstliche Vervollkommnung des Reimes ist jedoch nicht erforderlich.*“

quae licentia conceditur quidem in versibus iambicis, verum ea tantum conditione ut in ipso versus iambici initio Trochaeus locum habeat sufficiant haecce exempla:

Aen. VI. 53: *Eager to read the rest —*
Aen. VI. 227: *Breathless he lies —*
Georg. I. 633: *Nature herself —*
Past. V. 5: *Whether you please —*).*

---

*) Multa quae ad versuum naturam et maxime quidem ad soni in exitu similitudinem pertinent vituperatione digna esse affirmavi multaque exempla protuli quae ad id quod supra statui confirmandum apta mihi videbantur, sed praetermittere non possum quin poetae Britannico excusationem quandam afferam cum animo volvam, multos poetas clarrissimos in versibus componendis qui extremis verbis similiter sonent dissolutiores et neclegentiores esse; legis in „*Goethe: Die glücklichen Gatten*“:

Nur in der blauen Trübe
Verliert sich fern der Blick;
Hier wandelt noch die Liebe,
Hier hauset noch das Glück;

et in Schilleri „*Die Entzückung an Laura*“:

Laura, über diese Welt zu flüchten
Wähn ich — mich in Himmelmaienglanz zu lichten;

et in poemate „*Der Ring des Polykrates*“:

Dies Alles ist mir unterthänig,
Begann er zu Aegyptens König.

Natura linguae Britannicae et scribendi ratione saepe evenit, ut extrema versus verba oculis nostris pronuntiatione bene congruant sed non eodem sono in aures nostras cadant; sic legis in „*Shakespere's Macbeth*“, Act III., Scene V. hos versus quorum extrema verba similiter sonare vult poeta:

„He shall spurn fate, scorn death, and bear
His hopes 'bove wisdom, grace and fear'.

Caput alterum.

Quae hucusque exposui non dubito quin sufficiant ad versuum genus quo Drydenus usus est in versione luculenter illustrandum. Itaque cum exterior operis forma quomodo instituta sit viderimus, iam nos necesse est amplius progredi in comparatione nostra et quam rationem in ipsa interpretatione sit secutus Drydenus considerare. Sed priusquam hanc ad rem nos conferamus haud alienum videtur in usum lectoris hac de re minus instructi commemorare, illa argumenta cuique Drydeni libro praefixa non exstare in ipso Vergili opere neque quidquam esse nisi indicem lectoris causa confectum. Poeta cum id versuum genus, quod quale sit supra exposui, in versione sua usurparet, eo ipso angustis iam finibus cinctus tenebatur, ita ut quamlibet viam persequi ei non liceret. Luce clarius est, versionem metrice factam non posse archetypon verbum pro verbo reddere, cum interpres in vocabulorum expressionumque usu quasi vinctus sit et certis limitibus circumscriptus. Si vero accedit, ut interpres versuum responsionem sonique in exitu similitudinem affectet, eum necesse est multis in rebus ab illo opere abhorrere quod alia lingua reddere sibi proposuit. Triplicem tantummodo rationem, ut opinor, poeta hac in re sequi poterat. Primum ei licebat accurate et tamquam litteram ex littera carmina illa Latina interpretari, sed tale transferendi genus tenuius atque ieiunius erat quam quod Drydeni facultati poeticae et fervori arrideret, neque illo quo vivebat Drydenus tempore eiusmodi opus hominum litteratorum comprobationem acquisivisset. Notum enim est, Britannos illius aetatis exigua veterum linguarum cognitione contentos nonnisi indolem poetarum Graecorum ac Latinorum assequi studuisse ipsius linguae ratione non habita: nec versio accuratissime confecta, ut verbo verbum fere respondeat, fieri potest, ut ulli metro accommodetur. Deinde Drydenus uti poterat libera quadam et laxa vertendi ratione, sed talis interpretatio cum minorem poeseos vim spiritumque requireret, poetae nostro minus idonea debebat apparere, praesertim cum versio quae nimium a Latino opere

recederet sine dubio effecisset, ut multae admirandaeque primarii operis res in versionem recipi nequirent. Tertium est genus convertendi quod medium quas ilocum inter accuratam et liberam versionem obtinet *(a medium between the strait Metaphrase and the loose Paraphrase)*, et hoc est genus quod mea quidem sententia poeta Britannicus in opere suo usurpavit. Drydenus nonnunquam versus Latinos ad verbum vertit, si vim, suavitatem, elegantiam poetae Latini orationis imitandam sibi proposuit. Haec imitatio luculenter apparet ex anaphora i. e. ex repetitione eiusdem verbi, qua vertendi ratione haud dubie efficitur, ut versus Britannicus haud minus permulceat aures nostras quam poetae Latini versus. Minime dubito quin recte me statuisse concedas, si quidem comparaveris versionem versuum qui leguntur in Aen. VI. 43:

Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum.

Dryd. 65:

A hundred doors a hundred entries grace.

Bucol. IV. 34, 35:

Alter erit tum Tipyhs, et altera quae vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella.

Dryden 41, 42, 43:

Another Tiphis shall new Seas explore
Another Argosland the Chiefs upon th'Iberian Shore
Another Helen other Wars ereate.

Vides subter vocabula quibus Drydenus iterum ac saepius usus est me exiguam duxisse lineam. Insignem quandam artem poeta Britannicus adhibet in epithetis reddendis, ita quidem ut persaepe vocabula illa ornantia maiorem contineant pulchritudinem neque minus dilucida sint et distincta in versione Brittannica quam in carminibus Latinis. Sic Vergili verba satis obscura „*incertum vulgus*“ (Aen. II. 39) his verbis vertit clarioribus „*The giddy vulgar*“ (50) et in Aen. II. 255 „*ruit — nox*“ eleganti reddidit versione „*rush'd the Night*“ (329). Nonnunquam accidit, ut substantivo aliud appositum adiungat nec vero praetermittat quin Vergili epitheton alii eiusdem versus verbo addat, sicuti apparet ex hoc versu Bucol. IV. 29:

„*Incultisque rubens pendebit sentibus uva.*“

Dryd. 34:
„*And cluster'd Grapes shall blush on every Thorn*".

Quin etiam si in opere Latino translationes pulchras atque orationis figuras invenis, persaepe in versibus Britannicis tibi occurrunt orationis ornamenta quae pulchritudine ac suavitate non inferiora sunt, qua in re efficienda Drydeni ingenium eo magis admiratione nostra dignum est, quod inter omnes viros doctos constat, tropos figurasque quibus antiquae linguae abundant in recentioribus non facile nos posse imitari*), si quidem ea, quae dicamus, ab omnibus hominibus intellecta velimus. Quam eleganter interpres Vergilium imitatus sit e versione paucorum versuum qui sequuntur satis perspicere poteris; Aen. VI. 61:

Jam tandem Italiae fugientis prendimus oras.

Dryd. 95: *And now, at length, the flying coast is found.*

Aen. XII. 30: .... *arma impia sumpsi.*

Dryd. 54: .... *I wag'd an impious War.*

Aen. XII. 33, 34: ...... *tuemur*
Spes Italas.

Dryd. 58: .... *we keep our Hope alive.*

Drydenus magnam curam diligentiamque illi quidem rei adhibuisse videtur, quam ob causam minime mirum est, eum multis locis qui in opere Latino indolem plane pedestrem contineant usum esse pulchris translationibus. Sequentibus versibus comparatis non dubito quin assentiaris, Britannicis inesse sublimiorem pulchrioremque sensum quam Latinis;

Aen. II. 22: ... *Priami dum regna manebant.*
Dryd. 35: *While Fortune did on Priam's Empire smile.*
Aen. X. 23: .. *et inundant sanguine fossae.*
Dryd. 34, 35: *The Town is fill'd with Slaughter and o'erfloats*
With a red Deluge ...

---

*) Num convertere potes versus:
„*Illi robur et aes triplex*
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem etc." (*Hor. Od. I. 3*).
nostra lingua his verbis:
Jenem war Eichenholz und dreifaches Erz um die Brust?

Haec est ipsa causa cur Drydeni oratio interdum sensum maxime dilucidum offerat; accedit quod nonnullis locis utitur exquisitis exemplis sive comparationibus quae frustra in Vergili carminibus quaeruntur, veluti in

Aen. II. 27: *Panduntur portae, iuvat ire...*

Dryd. 34, 35: *... and issue in a Throng*
Like swarming Bees....

Postquam satis multa attuli exempla quibus illustrare conatus sum Drydeni rationem quosdam Vergili versus quasi verbo tenus exprimendi causamque dixi illius agendi rationis, iamiam ad illos carminum Latinorum locos transeamus quorum sensum poeta Britannicus soluta quadam ac libera versione reddidit, atque accuratius investigare aggrediamur causas quibus interpres ad tale vertendi genus sit impulsus. Drydenus natura metri quo in versione sua usus est saepenumero eloquendi circuitus vel paraphrases facere coactus erat. Cum versus heroicus multo brevior sit hexametro Latino, interpres duobus vel tribus versibus tantum dicere poterat quantum poeta Latinus uno versu adumbravit. Quam ob causam noli mirari ex multo maiore versuum numero constare opus Britannicum quam Latinum. Hanc differentiam quo melius intellegas hance facere comparationem mihi non displicet: Vergili liber I. continet 755 versus, idem poetae Britannici liber habet 1065: Vergili liber II. 804, Drydeni 1094; Verg. Bucol. I. habet 84, Dryd. 118; Verg. Bucol. II. 78, Drydeni 108. Quae res magnopere te impedit, si a primis alicuius libri versibus non proficiscens partem quandam operis Latini cum eadem Drydeni operis parte comparare vis, maximum vero est incommodum, si singulos libri cuiusdam versus inter se conferre animo intendis. Interpres, ut opinor, opus suum non satis apte instituit, quod non quinis vel denis versionis suae versibus numerum minoris notae eorundem versuum Latinorum margini adscripsit. Maiorem versuum Britannicorum numerum Drydeno faciendum fuisse ex eo collegi potest, quod interpres ea quae unus hexameter Latinus continet uno versu Britannico vertere non potuit, etiamsi semper usurpasset monosyllaba, sicut fecit in primo Aeneidos versu:

Arma virumque cano Trojae qui primus ab oris;
Arms and the Man I sing, who forc'd by Fate.

Quin etiam si id facile fieri posset, Drydenus talem vertendi rationem haud dubie omisisset, quia constat versum ex monosyllabis solis compositum satis absonum esse minimeque variare orationem. Etsi talis versus dicendi velocitate aures nostras perstringit, nihilominus plerique eiusmodi versus animum nostrum non permulcent quippe qui plerumque ad pedestrem orationem accedant. Qua de causa Drydenus illius rei ratione habita perpauca fecit monosyllaba quorum nonnulla, ut tibi recte me de natura eorum iudicasse persuadeam, afferam:

Aen. II. 1027: *With some small Glimpse of Hope to find her there.*

Aen. XII. 109: *The more he look'd, the more he fed the Fire.*

Past. II. 33: *The Winds are still, and if the Glass be true.*

Georg. IV. 740: *Trees bent their Heads to hear him sing his Wrongs.*

Non solum metri causa Drydenus tam angustis finibus inclusus tenebatur, ut Vergili versus ad verbum reddere non posset, sed etiam natura ipsius linguae Britannicae quippe quae, ut ceterae linguae recentiores, plura quam lingua Latina habeat pronomina et omnibus fere substantivis articulum praeponat, interpretis poetici consilio ac studio valde obstabat. Hinc sequitur, ut poetae Britannici non possint tam breviter et concinne scribere quam veteres poetae. Ne igitur mireris, interpretem parvam sententiam Latinam interdum duabus vel tribus expressisse periodis. Ut exemplum proferam, versum Aen. III. 13:

„*Terra procul vastis colitur Mavortia campis*“

vertit duabus his periodis coordinatis III. 42:

„*Vaste are their Fields, and Tillage is their Care*“;

immo vero tria haec verba Latina Aen. IV. 2: „*caeco carpitur igni*“ pleno atque integro reddidit versu IV. 2:

„*She fed within her Veins a Flame unseen*“;

etiam compares Aen. X. 11:

... ne arcessite —

cum Dryd. 16:

Nor need your Haste anticipate the Doom.

Sed maxime arti vertendi obstabat poetae studium similem versuum exitum efficiendi, nam illa versuum natura interpretem valde impedit quominus bene ac recte vertat et plerumque fit ut is qui versus suos illo modo instituere velit a proposito

nimio plus aberret. Drydenus non magnam exhibet varietatem homoeoteleutorum, cum multa eorum in eodem libro decies viciesve occurrant, et videtur verba quaedam ursisse quae, licet in carmine Latino nulla fiat mentio, in versuum exitu ponit. Nonne magnopere stupes, quod substantivum „*Night*“ in permultorum versuum fine est positum? octies cum substantivis „*Sight, Light, Fight*“ coniunctum invenis in Aen. II. 11, 328, 334, 496, 840, 911, 1000, 1024; substantivum „*Land*“ septies decies inveniri potest coniunctum cum vocabulis „*Sand, Hand, command, stand*“ etc. in Aen. X. 11, 67, 108, 211, 391, 410, 425, 492, 929; XI. 167, 195, 337, 372, 489, 860, 891, 931.

Si acri et attento animo versionem in examen vocaveris, multa invenies vocabula immo vero integros versus prorsus interposita. Equidem censeo, tantum abesse ut multae eiusmodi periodi locum quendam obscurum explicent, ut lectorem defatigent, praesertim si poetae Latini verba tam apta et pressa esse videat. Quam uberiorem orationem effectam esse interpretis studio versus componendi extremis verbis inter se consonantes existimo; non dubito quin assentiaris mihi comparato hoc versu Aen. II. 235:

„*Vertitur interea coelum, et ruit oceano nox*“

cum duobus his Drydeni versibus 328, 29:

„*Mean time the rapid Heav'ns roll'd down the Light,*
And on the shaded Ocean rush'd the Night“.

Attamen concedi potest, duos illos versus si alios spectas non esse ineptissimos, quod poeta orationis figuras imitatus est, nec est dubium quin res multo melius se habitura fuerit, si interpres non magnum numerum fecisset versuum qui sensum continerent valde simplicem, sicuti vides in Aen. VI. 3, 4:

... tum dente tenaci
Anchora fundabat naves ....

Dryd. 3:

Theirs Anchors drop'd, his Crew the Vessels moor.

Bucol. V. 87, 88:

At tu sume pedum, quod, me cum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes ......

Dryd. 137, 38, 39, 40:

Accept from me this Sheephook in exchange,
The Handle Brass; the Knobs in equal range,

Antigenes, with kisses, often try'd
To beg this Present....

Aen. II. 15: *Instar montis equum...*
Aedificant.

Dryd. 19, 20: .... *a Fabrick rear'd*
Which like a Steed of monstrous height appear'd.

Ultimi versuum quos protuli satis probant, Vergilium concinne et definite rem describere, ita ut lector statim cogitatione sibi fingere possit equi magnitudinem, Drydenum autem primum generatim atque universe de illa re loqui ac deinde demum, ut lector recte sentiat de comparatione facta, verbis accuratioribus in descriptione uti. Sed ne interpreti laudem quam meret imminuam, facere non possum quin versum afferam cuius in carmine Latino nulla fit mentio affirmemque hoc versu interposito descriptionem versibus antecedentibus factam mirum in modum auctam imaginemque quasi colore ardentissimo expressam esse. Eo loco quo Virgilius exponit, singulis annis Cecropidas olim Cretae ultionis cupiditate ardenti sacrificare debuisse septem iuvenes finitque narrationem verbis „stat ductis sortibus urna", versum Britannicum, de quo supra dixi, illi descriptioni ab interprete additum invenis:

„*The mournful Parents stand around in Tears*" *(31).*

Nonne hoc ad descriptionem accommodatum putas? nonne poeta verbis suis effecit, ut illi parentes quasi ante oculos nostros flere videantur?

Multi in carminibus exstant versus quos interpres laxa quidem et libera sed consulta et cogitata ratione reddidit, cum animum induxerit versionem facere quae ingenio ac voluntati aequalium suorum placeret*). Hic illic sententiam invenis ab interprete additam qua melior aptiorque singularum partium coniunctio efficiatur, quam ad rem Vergilius, ut omnes poetae epici, animum parum attendit. Poeta Latinus postquam a proposito fusiore quam necesse erat descriptione nimio plus aberravit, nulla earum rerum quas ante latam illam descriptionem prae ceteris spectavit ratione habita, ad id unde est degressus revertitur; si ad aliam

---

*) Dryd. in „*The Dedication To the most Honourable John* etc." dicit: „*The way to please the best judges is not to translate a poet literally*".

rem tractandam transiturus est nec prooemio quodam neque sententia generali praemissa rem ipsam aggreditur. Comparato utriusque libri Aen. VI. initio videbis, loco quo Vergilius dicit, Aeneam a Deïphobe, Phoebi Triviaeque sacerdote, inclamari, interpretem, ut res melius inter se cohaererent, duas addidisse periodos Aen. VI. 51, 52:

„All this with won'dring Eyes Aeneas view'd:
Each varying Object his Delight renew'd".

Permulta etiam additamenta a poeta Britannico facta eo spectant, ut vocabula obscura et quasi ambigua quibus opus Latinum abundat accuratius definiantur et explicentur. Vergilius poeta in descriptionibus suis saepenumero factum vel statum, rei vel animalis naturam talibus adumbrat verbis, quae haud facile intellegere possis, nisi omnis historiae rerum veteribus temporibus gestarum omnisque historiae fabularis, i. e. mythologiae cognitionem habeas: Drydenus vero maximam illorum verborum partem ita reddit, ut versio orationis obscuritatem lectori illustret et quasi commentarium in Vergilium compositum suppeditet. Qui lector, ut exemplum afferam, licet magnam litterarum Latinarum scientiam habeat, conicere potest quid sibi velint verba illa *„mixtumque genus"* (Aen. VI. 25) quibus Vergilius Minotaurum significat? sed non dubito quin facile e Drydeni versione sensum coniectura assecuturus sis, etiamsi mythologiae studio non te dedideris; interpres enim illud *„mixtum genus"* hoc modo reddidit in Aen. VI. 36, 37:

... the doubtful Progeny,
The lower part a Beast, a Man above.

Jam videas quam incertam atque obscuram Labyrinthi a Daedalo aedificati imaginem proponat Vergilius dicens *„inextricabilis error"* (Aen. VI. 27) et, versione Britannica cum illis verbis Latinis comparata sine dubio tibi persuadebis, Drydenum descriptione sua Labyrinthi faciem ita effinxisse, ut non clarior futura fuerit spectantibus; dicit enim in Aen. VI. 40:

„A thousand Doors, a thousand winding Ways".

In qualibet fere pagina eandem rationem invenire potes, sed tertium tantum exemplum ad illam rem illustrandam aptissimum hoc loco exhibeamus quod invenis in Aen. X. 3, 4:

... terras unde arduus omnes
Castra Dardanidum adspectat.

Dryd. 3, 4: *Sublimely seated he surveys from far*
The fields, the Camp, the Fortune of the War.

Poeta Britannicus non satis habuit multas res aliis nominibus quam quibus Vergilius usus est designare sive coactus metri ratione sive ratus aliud nomen aequalium suorum ingenio magis placere*), sed etiam hominibus animalibusque epitheta addidit quae lectorem variorum casuum qui illis acciderunt commonefacerent et hoc modo magnam narrationis varietatem bonosque ut ita dicam colores efficerent; conferas versionem versuum qui exstant in Aen. VI. 30, 31: .... *tu quoque magnam*
Partem opere in tanto, sineret dolor,
Icare haberes.

Dryd. 47: *Here hapless Icarus had found his Part.*

Aen. XII. 908, 909: *victum quem vulnere Turnus Straverat.*

Dryd. 1366: *The fatal Spoils which haughty Turnus tore,*
From dying Pallas and in Triumph wore.

Drydeni uberius describendi genus versioni magnum vigorem et quasi colorem ardentem tribuit et saepe evenit, ut talis orationis ubertas apta sit non modo ad imagines quasdam exornandas, verum etiam ad Vergili sententiam supplendam et explicandam quod satis probatur hisce exemplis desumtis ex Aen. II. 23:
.... *statio male fida carinis.*

Dryd. 29, 30: .. *but since a faithless Bay*
Where Ships expos'd to Wind and weather lay.

Aen. VI. 13: *Jam subeunt Triviae lucos atque aurea tecta.*

Dryd. 16, 17: *Thro' Trivia's Grove they walk; and now behold,*
And enter now, the Temple roof'd with Gold.

Aen. II. 21: *Est in conspectu Tenedos..*

Dryd. 27: *In sight of Troy lies Tenedos ..*

Aen. II. 10: *Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros*
.. *Incipiam etc.*

Dryd. 15, 16: *I will .... briefly tell*
What in our last and fatal Night befel.

Nemo est qui neget, in carminibus epicis quorum interest ut omnia late iucundeque narrentur notiones abstrusiores sive ab aspectus iudicio remotas id efficere, ut saepe retineamur et con-

*) Compares Aen. VI. 5: *Littus in Hesperium; Dryd. Th'Italian Strand.* VI. 14: *fugiens Minoïa regna;* Dryd. 14: *to fly the Cretan Shore.*

turbemur ac descriptio ipsa satis obscuretur. Drydenus qui huius rei non ignarus fuisse mihi videtur nonnullas operis Latini notiones huiuscemodi in partes ut ita dicam divisit et mirum in modum explicuit, nec dubium est quin talis divisio et enodatio animo nostro pulchram claramque offerat imaginem; cf. versionem Aen. XII. 29:

.... vincla omnia rupi.

Dryd. 53: *All Ties of Treaties, and of Honour broke.*

Statui quidem in huius dissertationis initio, Drydeni genus vertendi Vergili carmina medium quasi locum inter accuratam et laxam versionem obtinere, sed illud „cum grano salis“ ut ita dicam affirmatum te habere velim i. e. interpretem tantum maxima e parte illam viam rationemque secutum esse multis autem locis consilio suo non stetisse. Licet interpreti venia dari possit, quod nonnunquam poetae Latini sententiam nimis leviter attigit, ut e. g. in Georg. IV. 562 sqq.:

Illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis otî;
Carmina, qui lusi pastorum audaxque inventâ,
Tityre te patulae cecini sub tegmine fagi:

quos versus reddidit Dryd. 815 sqq.:

„While I at Naples pass my peaceful Days,
Affecting Studies of less noisy Praise:
And bold, thro' Youth, beneath the Beechen Shade,
The Lays of Shepherds and their Loves have play'd“;

certe vituperatione dignus mihi videtur poeta, quod nonnullos operis Latini locos pulcherrimos plane omisit, cuius rei exempla habes in Aen. XII. 31, 32:

„Ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur
Bella, vides ....

et in Aen. VIII. 713:

At Caesar, triplici invectus Romana triumpho
Moenia .....

Priusquam hanc meam dissertationem ad finem perducam, de Drydeni sermone vel usu verborum pauca verba dicere constitui. Si satis constat, archetypon ad interpretis sermonis indolem verborumque constructionem maximam vim habere, ita ut multos locos Vergili vel Thucydidis vel Platonis operum facilius intellegamus quam eorundem locorum versionem lingua recentiore com-

positam, ne nimis reprehendamus Drydenum, quod in versione sua multis usus sit „Latinismis“ *(to have latinized)* quoniam non ignoramus, lexicon Britannicum continere magnum numerum vocabulorum quorum etymologiam in lingua Latina invenimus*). Fortasse Drydenus existimavit, se illam licentiam sibi sumere posse, cum Vergilius poeta multos „Graecismos“ carminibus suis admiscuerit; et, quod Graecismi atque imitatio linguae Graecae constructionis id effecerunt, ut lexicon Latinum ingenti incremento auctum et lingua ipsa valde expolita sit, forsitan dicas, interpretem Britannicum eandem ob causam Latinismos adhibuisse.

Non dubito quin magnus numerus locorum quos parva semper explicatione adiuncta inter se contuli sufficiat ad luculenter illustrandum discrimen quod intercedat inter carmina Latina et Britannicam versionem. Passim vidimus, Drydenum maximam curam diligentiamque in opere suo adhibuisse. Nec negari potest, eum poetae Latini studio valde incensum fuisse, quod quidem minime mirum videtur, si nobiscum reputaverimus, primis medii aevi temporibus poetas Vergili carmina diligenter observantes multis rebus poetam Latinum imitatos esse atque nationes Romanicas *(die romanischen Voelker)* et rerum et verborum copiam in poematis epicis componendis e Vergili carminibus hausisse**). Illis temporibus poetae Latini opus quasi ianuam aperuit ad studium Homeri carminum, ac multi erant viri docti qui carmina illa epica pluris quam Homeri opera aestimarent***). Sed posterioribus temporibus viri exstiterunt qui magis sobrie atque

*) Interpres ipse in praefatione sua de illa re dicit: *„I will not excuse but justify myself for one pretended Crime, with which I am liable to be charg'd by false Criticks; that I latinize too much. It is true, that when I find an English word significant and sounding, I neither borrow from the Latin, or any other language: but when I want at home, I must seek abroad.“*

**) Henricus a Veldeck vel potius Veldekîn Vergilium imitatus est in compositione Aeneidos quod carmen epicum Germani vocant *„das erste hoefische epos der Deutschen“*.

***) Recorderis velim de Nic. Frischlin, socio virorum qui saeculo sexto decimo humanitatis studia profiterentur.

subtiliter de Vergili virtute iudicarunt et, ut Hegelius, Niebuhrius, Marklandus, nimiae populorum venerationi intercedentes illius poetae vitia in lucem protulerunt: sed neque illi iudices critici neque alius quisquam negare potest, Vergilium patrem esse poeseos epicae Latinae eiusque carmina quasi speculum esse sinceri verique naturae amoris animumque nostrum magnopere commovere. Licet Drydenus sublimi ac gravi genere dicendi fuerit instructus, tamen sensu caruit exprimendi suavitatem elegantiam dignitatem poetae Latini. Etiamsi, ut supra vidimus, opus Britannicum nonnullis locis satis neclegenter ac parum accurate compositum videatur, certe admiremur necesse est limatius dicendi genus quo omnia carmina exornata sunt: omnia quae dicuntur perspicua sunt et facile ab omnibus intelleguntur nec constructio grammaticalis ibi invenitur quae lectori aliquam afferat difficultatem. Quae laus omnibus Drydeni scriptis, quotquot vitia continent, tribuenda est neque quisquam ignorat „fabulas“ Drydeni sermonis pulchritudine et suavitate adeo excellere, ut omnibus temporibus et senes et iuvenes e lectione earum magnam percipiant voluptatem.

Vita.

Natus sum Carolus Franciscus Josephus Nick Liesenfeld in vico haud procul a Confluentibus in provincia Rhenana sito anno h. s. XLI. patre Petro matre Anna Maria e gente Jung quam morte iam dudum ereptam valde lugeo. De priore noverca mea cum nonnullis diebus post matrimonium mortem occumberet nihil unquam comperi: patrem superstitem et alteram novercam, qua nunc utor, Christinam e gente Busch grato pioque animo colo ac veneror. Fidei addictus sum catholicae.

Primis litterarum elementis instructum parentes viro sapienti me erudiendum dedere. Sed duobus annis praeterlapsis ratus me ad altiora et sublimiora studia esse natum parentibus dixi, me operam daturum esse iis artibus litterisque quae in gymnasiis patriae nostrae colerentur. Quo factum est ut parochi doctissimi humanissimique auspiciis linguae Latinae et Francogallicae studerem ac deinde gymnasium adirem Treverense quod tum viro illustrissimo Prof. Dr. Loers directore florebat.

Spatio sex annorum exacto maturitatis testimonio munitus auctumno anni h. s. LXIII. ad almam litterarum universitatem Bonnensem me contuli ibique a Rectore Magnifico Prof. Dr. Bauerband in civium academicorum numerum receptus per tria semestria studiis theologicis operam dedi. Cum intellegerem, studium theologiae repugnare ingenio meo, studiis philologicis et maxime quidem linguarum recentiorum studio operam navare incepi. Feriis academicis nonnunquam in Galliam et in Belgarum regnum profectus sum, ut maiore exercitatione et dicendi et pronuntiandi fruerer. Per sex semestria scholas frequentavi horum virorum clarissimorum: Dieringer, Floss, Hilgers, Langen, Reusch, Bernays, Delius, Diez, Gildemeister, Monnard, Nadaud, Neuhaeuser, Ritschl, Ritter, Schaefer, Simrock, Springer. Quibus

viris omnibus, qui summam mihi benevolentiam semper praestiterunt, gratias quam maximas habeo semperque habebo.

Vere anni h. s. LXVII. examine pro facultate docendi in universitate Bonnensi superato Aquisgranum me contuli atque in litterarum ludo primi ordinis *(Realschule I. Ordnung)* qui illa in urbe doctissimo Prof. Dr. Hilgers directore floret Candidatus probandus unum per annum versatus sum. Vere a. curr. Bochum in urbem a magistratu spectatissimo vocatus sum, ut in litterarum ludo superioris ordinis qui ibi Dr. Seidel rectore maxime floret magistri munere fungens iuvenes docerem atque educarem.